

2857

LITURGICI.

2858

tantum annorum, sed et Episcoporum numero laborare. Erronee tamen ibi in primo Exemplo legitur *sanguinis* pro *sagiminis*, quod in altero p. 58. rite cautum fuit.

DCCXC.

370 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 188. f. nitidissime scriptus, rubricisque enotatus hac inscriptione gaudet: *Prologus sequentis opusculi de diuinis officiis per circulum anni*. Initium est: *Ea quae per circulum anni ordine constituto in diuinis aguntur officiis &c.* Tractatus hic ad *Rupertum* Abb. *Tuitiensem* O. S. B. clarum Sec. XII. Scriptorem pertinet, a quo missum Exemplar ad *Cunonem* Ep. *Ratisbon.* opinatur se vidisse inter S. *Emmerami* Codices Cl. *Bern.* *Pezius* T. I. *Tbes. Anecd. Dissert. Isagog.* p. 39. Abest a *Nostro* praevia ad *Cunonem* *Epistola*, quae tamen habetur Tractatui praefixa in edit. *Opp. Ruperti Veneta* 1751. T. IV. p. 3. Liber I. ita incipit: *Septem canonicas horas diei non licet a quoquam &c.* A Libro VIII. neglexit Scriba novorum Librorum notare initia. Integrum tamen decurrit Opus usque ad *ultimum* L. XII. Caput de *Nocturnis Lektionibus a mense Septembri*, quod excidit, *Codice* in haec verba desinente: *tanto difficilior victoria*, quae Caput penult. in Editis terminant. Lektionis ab his discrepantia exigua est. Ita in *Praef.* nonnisi *terra purgata pro purpura-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

ta habetur. Sed luculentior in Edit. error sub finem L. VI. c. 36. p. 81. *jam dictum est pro dicendum est.*

In fronte *Cod.* legitur: *Iste liber pertinet monasterio beate marie magdalene in franckentall inter spiram et wormaciam canonicorum regularium ordinis sancti augustini episcopi et doctoris.* Addidit alius: *Dono datus mihi hic liber a curatore presente priore quia in eadem libraria aliud exemplar habebant.*

DCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. 386 XII. Folior. 101. 4. probe scriptus et rubricis distinctus *Liturgicus* est, cujus titulus ex his *Prologi* verbis innotescit: *Ob hanc causam libellum de diuinis officiis ut iussistis edidi. cui nomen gemma anime indidi. quia uidelicet ueluti aurum gemma ornatur. sic anima diuino officio decoratur.* Autor, qui hic tacetur, est *Honorius* Presb. *Augustodunensis*, qui non, ut in *Fabric. Bibl. med. Lat.* circa an. 1300. sed in confinio Sec. XI. et XII. floruit, et non raro *Solitarii*, quin *Inclusi* nomine venit. Opus nostrum, quod post iteratas Editiones receptum est in *PP. Bibliothecas*, et in *Lugd. T. XX.* p. 1046. legitur, incipit ab *Epistola Solitariorum*, qua hunc laborem a *Solitario* expetunt, ejusque *Responsio. Agmen in Castris eterni Regis exubans &c.* et: *Postquam christo fauente pelagus scripture prospero cursu in summa totius transcucurri &c.* Ad quae verba obser-